



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



JOANNIS BARBEYRACI

*Juris & Historiarum in Academia LAUSANNENSIS
Professoris Ordinarii*

O R A T I O
I N A U G U R A L I S

D E D I G N I T A T E E T U T I L I T A T E


J U R I S A C H I S T O R I A R U M

E T U T R I U S Q U E D I S C I P L I N Æ

A M I C A C O N J U N C T I O N E.

Quam dixit A.D. XIV. Kalend. April. M.DCCXI.

Editio secunda auctior & emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud P E T R U M D E C O U P.

M. DCCXI.

Digitized by Google

18. *Scutellaria* *lanceolata* L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata

L.

lanceolata


L.

ANNUAL PLANT

LEAVES AND STALKS SMOOTH

I N C L Y T Æ
BERNATUM REIPUBLICÆ
C O N S U L I B U S ,
Q U Ä S T O R I B U S , T R I B U N I S ,
C E T E R I S Q U E
S E N A T O R I I O R D I N I S V I R I S A M P L I S S I M I S , E T
E X C E L L E N T I S S I M I S , P A T R I A E P A T R I B U S ,
D O M I N I S S U I S C L E M E N T I S S I M I S

S. P. D.

ON erat animus, *VIRI AMPLISSIMI*
& *EXCELLENTISSIMI*, dum hanc
Orationem meditarer, typis describendam tra-
dere, satis amplum ei theatrum futurum ra-
tus, Auditorum, coram quibus habenda erat,
confessum. Sed quandoquidem Venerandus Cæ-
tus Academicus, cuius pars eo ipso die factus sum, quo illam
dixi, decreto suo non solum publicæ luci exponi & legentium
oculis subjici consultum judicavit, verum etiam, pro sua huma-
nitate & in me benevolentia, ad id comiterhortatus est: eo fa-
cilius exorari me passus sum, quod beneficium vestrum, in hanc
Academiam, in hanc Civitatem, in omnes qui eo uti volent,
recentissimè collatum, hac ratione à pluribus resciri posse vide-
rem, & dignis laudibus celebrari. Sic etiam mibi privatim com-

modissima occasio sese dabant publicè vobis gratum animum testandi, quam, ut decuit, lubentissimè adripui. Accipite igitur, **VIRI AMPLISSIMI & EXCELLENTISSIMI**, primum istud industriae meæ, in munere à Vobis mihi demandato, specimen, tenue quidem, sed ex quo omnibus innoteſcet, quantum intelligatis rationem boni publici curandi, quam ardenti, quam prudenti studio illi invigiletis & consulatis, qui barbariem, Principum Magnatumque ſocordiam, per bella præſertim, heu nimium diuturna, in universam ferè Europam irruentem, Ditionibus Vestris depellere conamini, non ſolum vetera iſtituta gnaviter tuendo, collapſa reſtituendo, ſed & novis ſubſidiis Literarum ſplendorem, ſimil & utilitatem promovendo. Cui Veftro non ſatis laudando confilio ut me pro viribus iſervire voluiftis, quem ex Urbe Regia Berolino accitum, ad Juris & Historiarum Profefſionem, nunc primū à Vobis in hac Veftra Academia Laufanensi conditam, benigniſſimè vocaſtis: ita lēta ſpes adfulget, mihi jam Veftro factō paratum in dics magis magisque futurum in Veftra bonitate præſidium, idque à Vobis quam poſſum demiſſiſſimè atque ſubiectiſſimè peto. Sic Deus Opt. Max. cæptis Vestris lētus adſpiret, ſic Vos publicè privatimque omni bonorum gene-rc cumulatiſſimè maſtet. Hæc vovebat, **AMPLITUDINIBUS & EXCELLENTIIS VESTRIS addictiſſimus,**

Laſanne, Idibus April.
MDCCXL.

JOANNES BARBEYRACUS.

JOANNIS BARBEYRACI
ORATIO INAUGURALIS
DE DIGNITATE ET UTILITATE
JURIS AC HISTORIARUM
ET UTRIUSQUE DISCIPLINÆ
AMICA CONJUNCTIONE.

AMPLISSIME PRÆFECTE, LITERARUM ET LITERATORUM
PATRONE AMANTISSIME, IDEM ET INTELLIGENTISSIME,
MAGNUM PRÆSIDIUM ET DULCE DECUS MEUM:
QUÆSTOR HUJUSCE CIVITATIS CONSULTISSIME,
INTEGRIME:
TRIBUNI PRUDENTISSIMI, VIGILANTISSIMI:
SENATORES GRAVISSIMI:
MAGNIFICE ACADEMIÆ HUJUSCE RECTOR:
VENERANDI ECCLESIAE PASTORES:
CLARISSIMI, DOCTISSIMI PROFESSORES:
HOSPITES ET AUDITORES OMNIUM ORDINUM, QUOTQUOT
ADESTIS, ORNATISSIMI, HONORATISSIMI:
TUQUE, JUVENTUS STUDIOSA, NOSTRÆ MOX DISCIPLINÆ
COMMITTENDA.



On diu quærendum, nec longè petendum fuit, dicendi argumentum idoneum, quod vestræ responderet exspectationi, simul & hujus dici solennitati aptum esset. Apud omnes ferè, ubi bonarum literarum & Scientiarum studia vigent, in more positum est, ut munus quoddam Academicum ineuntes, à commendatione rerum, quæ ipsis docendæ præscribuntur, auspicia capiant. Sed, et si nequaquam ita ferret consuetudo, non sine ratione passim recepta, & ab illis ritè servatâ, qui in alterius locum, vel demortui, vel alia de caussa vacuam relinquenter stationem, identidem suffici conspiciuntur; postularer tamen muneris hodie mihi impositi novitas, &

quod Jus ac Historiæ heic loci nunc primū, me interprete, in publica pulpita escendant. Video equidem campum non minus commodum, quam latissimum, sese jam offerre, in Summi Magistratū præconia, qui nobis & Republicæ, cum literariæ, tum civili, hæc otia fecit, lubentissimè, pro meo & adstantium cujusque adfectu, exspatiandi. Verùm ab eo deterret ingenii mei tenuitas, cuius culpà ne justissimæ laudes deterantur, sedulò cavendum est: veterat etiam idem, qui statim jubere videri queat, grati animi sensus, quo forsan, apud iniquos rerum æstimatores, exigui admodum ponderis fieret, quidquid ore meo erupturum esset, ad prædicandam pietatem, sapientiam, magnanimitatem, clementiam, ceterasque virtutes eximias Virorum Amplissimorum, qui me in hanc honorificam stationem è longinquis oris benignissimè evocarunt: denique minus necessarium efficit muneri ipsius utilitas, à qua ceteroquin, fusiùs aut breviùs, demonstranda, abstinere par non erat. Ita est, AA. eæ demum laudes fine mibi propositum certissimè adsequuntur, quæ ex rebus ipsis natæ, nulla adulatio[n]is suspicione infringi, nulla invidiæ æragine corrumpi, nulla supercilii nube obscurari queunt. Certè si ego, quod spero, nec magno eget molimine, luce meridiana clarius ostendero, vix aliud esse, quod publicè doceri e re magis sit, cum singulorum, tum Civitatis universæ, quam Juris & Historiarum principia; quidquid ad commendandas nobilissimas Disciplinas dixero, simul gloriæ cedet iis, qui Academiam istam munere tam necessario diutius care-re non passi sunt.

Cavete tamen existimetis, me, dum huic negotio, quod mihi datum esse decrevi, totus hodie incumba, quidquid præterea est Disciplinarum de gradu dejectum ire, ut nihil illis ferè boni relinquatur. Si bene me novi, non is sum, qui, præ φιλαυτίᾳ aliena deprimam, ut mea extollam. Ita me paravi, ut suum cuique rei pretium, salvo aliarum, statuere minimè plegeat: ita mihi visum est, nullam Artem, nullam Scientiam, cui modo aliquid veri ineat, indignam esse, quæ à quibusdam excolatur, ab aliis non omnino contemnatur. Quæ vel maximè contemplationi intentæ, ab usu vitæ per se abhorrent, præterquam quod huc aliquid possunt conferre, quod non nisi progressu temporis adparet, aut per longam decimur rerum consequiam locum obtinet; illæ, vel hac de causa, in aliquo esse debent pretio, quod ræntis humanæ, ut ut corpori immersæ, mirum acumen & captus eximus, atque inde Creatoris Optimi Maximi sapientia potentiaque, eniteſcant. Hoc tantum volo, ne quidquam ultra modum ac dignitatem extollatur: ut minus utilia, utilioribus cedant: ut quod suapte naturæ ad usum comparatum est, pluris fiat

eo, quod propter alia tantum utilitatem quamdam adfert: ut quod omnibus vel plurimis cognitum prodest, neglectum nocet, potius habeatur eo, quod non multis, aut paucissimis, scitu necessarium est: ut, quo nobilior finis est, eo nobiliora exultentur quaecumque ad illum ducunt. Abstinebimus etiam ab omni comparatione, quæ plerumque aliquid invidiae habet, & ne tum quidem innumeris, aliam Artes profitentibus, satis grata est, quando illius, quæ laudatur, præstantia ita manifestè fessa prodit, ut in dubium minimè vocari queat. Si verò aliquid fortè excidat, quod ad minuendum plurimarum Scientiarum, præ his nostris, pretium, apertè spectare, diffiteri nequeamus, id tantum erit, quod res ipsa & necessario dñendorum ratio extorserit. Favete igitur mihi, primò quidem de dignitate ac utilitate Juris & Historiarum scorsim, tum de utriusque Disciplina amica coniunctione, breviter, quantum sat erit, aut saltem quantum fert hora, differenti.

I. JURIS dignitatem & utilitatem nemo ignorare potest, nisi qui naturæ suæ ignarus, immo omnium rerum ferè rudit sit; nemo inficiari, nisi qui humanitatem exuerit, & sibi omnia licere ferociter autemet. Nulla re magis absimus à natura reliquorum omnium animalium, quæ Juris quidem alicujus peritia censentur, ut ait (a) ULPIANUS, ejus tamen vim & indolem, propriè loquendo, minimè intelligunt, nemdum illo utuntur ceu norma, ad quam fessa componere, motusque suos dirigere, officii sui ducant. Quidquid enim Philosophi de Brutorum anima & cognitione inter se digradientur, in confessio est apud omnes, & adtendenti facilè patet, unum hoc animal (verbis utor (b), CICERONIS) unum, inquam, hoc animal sentire quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque qui modus. Multò ante dixerat PLATO, (*) Hominem, ut intelligentia ceteris animalibus antecellit, ita de Jure & Diis solum aliquam cogitationem animo concipere. Ubi optimè Juris & Numinis notitiam conjunxit nobilissimus Philosophus: hæc enim fuit (c) sapientissimorum inter Ethnicos sententia, primum omnis Juris fontem in Numine quærendum esse. Intelligebant nimirum, (d) nos ad Justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse Jus: repetendum itaque illud ab Hominis natura, qui (e) præclara quadam conditione generatus sit à supremo Deo, ut inter (f) omnes esset societas quadam; major autem, ut quisque proxime accederet. Coniunctio (g) illa inter homines hominum, & quasi quædama societas & communicatio utilitatum, & ipsa caritas generis humani, nata à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota

(a) Digest. Lib.
I. Tit. I. De
Justit. & Jure,
Leg. I. §. 3.

(b) De Offic.
Lib. I. Cap. IV.

(c) Cicer. de
Legib. Lib. II.
Cap. IV.

(d) Idem, I. 10.
ibid. Vide & I.
§.

(e) Ibid. I. 7.

(f) Idem, de
Amicit. Cap. V.
Vide & de
Offic. I. 7. III,
17.

(g) Idem, de
Finib. bon. &
mal. Lib. V.
Cap. XXIII.

(*) Ο ["Αἰδηποτος] οὐτέου τι ὑπερίξει τάχα. In Menexen. Tom. IL pag. 237. D. Ed. H. Steph.

8 De Dignitate & Utilitate Juris ac Histor.

domus conjugio & stirpe conjungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum; tum adfinitatibus, deinde amicitiis post vicinitatibus; tum civibus, & iis qui publicè socii atque amici sunt; deinde totius complexu gentis humanae: quæ animi affectio, suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, Societatem conjunctionis humanae munificè & eaque tuens, Justitia dicitur: cui adjunctæ sunt Pietas, Bonitas, Liberalitas, Benignitas, Comitas, quaque sunt generis ejusdem. Hinc est quod (h) vim vi repellere liceat: hinc (i) introducta bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ. Adeò ut (k) omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communis omnium hominum Jure utantur; quorum hoc, JUS NATURÆ AC GENITIUM, illud JUS CIVILE nuncupatur. Nihil (l) est autem illici principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum, jure sociati, quæ CIVITATES adpellantur.

Habetis, AA. Juris universi originem, totidem ferè verbis præstantissimorum inter Ethnicos, cum Philosophorum, tum Jurisconsultorum, paucis descriptam. Vel hinc abundè patet, quam pulcra, quam utilis, quam necessaria sit illa Disciplina, cujus prima principia qui probè tenet, simul (m) cognitum habet, quod sit summi Rectoris & Domini numen, quod consilium, quæ voluntas. Sed rei ipsius summam utilitatem ac necessitatem oculis etiam quasi subjicit quotidiana, & cuivis obvia, omnium ætatum, omnium temporum, omnium locorum experientia, quæ luculenter docet, (n) omnia esse incerta, quum à Jure discessum est. Eò sanè beatiores sunt, cùm homines singuli, tum societas & gentes integræ, quo sanctius interesse Juris præcepta colunt: eò infeliores, quo frequentius & latius illa migrant. Tolle jus: id simul tollis, sine quo vita hominum squalida, horrida, anxia, miserrima, immo nequaquam vitalis est. Aut jus, aut cujusque libido valeat necesse est: omnia libidini cujusque permiseris, quid aliud inde oriri queat, nisi vis, dolus, fraus, insidia, vulnera, cædes? Ne illi quidem, qui maleficio & scelere passuntur, possunt sine ulla particula Justitiae vivere; ut iterum Tullii (o) verba usurpem.

Si igitur aliquid est, quod publicè privatimque doceri omnium interiit, certè Jus est, & quidquid ad Juris rectam notitiam facit. Illud equidem primum & universale, à quo reliqua omnia Jura quidquid habent recti ducunt, nec vel minimum discedere queunt, quin statim injusta fiant; JUS, inquam, NATURÆ AC GENITIUM,

(h) Digest. Lib.
XLIII. Tit.

XVI. De vi &
vi armata, Leg.

I. S. 27. Vid. &
Lib. I. Tit. I.

S. 3.
(i) Ibid. Lib. I.

Tit. I. Leg. V.

(k) Ibid. Leg.

(l) Cic. Somn.

Scip. Cap. III.

(m) Idem, de
Finibus bon. &
mal. Lib. IV.
Cap. V.

(n) Idem, Lib.
IX. Epist. XVI.
at Farnil.
quamquam
paullum diver-
to sensu.

(o) De off.
Lib. II. Cap. XI.

TIUM, ut Ratione naturali innititur, omnium hominum communis, ita vix egere doctoribus, leviter adtendenti videri queat. Enimvero heic, ut in rebus aliis, *semina (p) scientiae nobis Natura dedit*, <sup>(p) Senec. E.
pist. CXX.</sup> *scientiam ipsam non dedit*. Quam tamen per se quisque adepturus es-
set, si à teneris annis Rationem naturalem diligenter ac constanter in
consilium adhiberet, nec transversus per alia ageretur. Sed, ne me-
morem insitam illam omnium ad prava & iniqua propensionem, cu-
jus originem veram Sacrae Literæ solæ docent, & quæ, cum à Jure
adcuratè cognoscendo deterret, tum ad falsas Boni & Mali, Justi &
Injusti, regulas fingendas impellit: quis nescit, quanta sit vis educationis & initiationis haud rectæ; quām validè exemplis, quæ præ-
fertim blandiuntur adfectibus cuiusque, abripiamur; quām difficul-
ter eveliantur præjudicatae opiniones, longa consuetudine radicatae;
quantum possint mali mores, publica vel auctoritate, vel dislimula-
tione, inducti aut adprobati? Heic potissimum locum habet, quod
eleganter de Honesto in universum dixit Orator Romanus: (q) Ani-
mos nostros Parens, Nutrix, Magister, Poëta, Scena depravat,
*Multitudinis consensus abducit à vero. Antinus omnes tenduntur insi-
die, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes quim ac-
ceperunt, insciunt & fletunt, ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in
omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, Voluptas, malorum autem
mater omnium.* Hæc CICERO. Accedunt vitæ necessitates, cùm
veræ, tum imaginariae, quibus dum plerique consulere acriter labo-
rant, nullum ferè tempus sibi relinquunt, ad excolendum animum
quantum satis est, ut parvulos, quos Natura nobis dedit, igniculos
excitent, & semina innata adolescere patiantur, etsi alias tot & tan-
tie non essent caußæ, quæ illa mature reflinguant ac suffocant.

Fateor, Juris Naturalis & Gentium scita maximè generalia ejusmo-
di esse, ut apud omnes ferè populos, saltem moratores, sarta teatæ
que maneant, & peræquè (r) custodiantur: sed quām parum id est,
si quis singularia, quæ inde fluunt innumera, aut ipse clicere non
norit, aut à peritioribus non edoceatur? Quām sc̄p̄tissimè etiam ubi
ab adfectibus in devia non abripitur, (s) sola ignorantia turpiter sese
dabit, dum arte & via non utitur, & regulam bonam pessimè aptat?
Quid quod & inter eos, qui Juri in omnibus rebus eruendo cùm ma-
ximè student, haud rarò videas ea decreta ponî pro indubitatis, quæ
adcuratiū perscrutanti vel incerta, vel planè falsa deprehenduntur?
Adeo neceſſe est, homines esse, qui in hoc toti occupentur, in id
omnes ingenii nervos intendant, ut *animi nostri (s) complicatas no-
tiones*

<sup>(q) De Legib.
Lib. I. Cap.
XVII. Vide &
Tu. c. III. 1, 2.</sup>

<sup>(r) Vide Diag.
Lib. I. Tit. I.
De Just. et Jui-
re, Leg. IX.</sup>

<sup>(s) Cicer. de
Offic. iii, 1,</sup>

(1) Non enim tantum adfectibus impeditur, quo-
minus proxima faciamus, sed imperitia invenien-
di, quid quaque res exigat. SENECA. Epist.
XCIV.

tiones evolvent, & detectas ob oculos eorum statuant, qui ipsi non potuerunt aut noluerunt executere!

Nec minore, immo potiore de causa, doctorem unum quem, vel mutum, vel viva voce docentem, desiderant Jura Civilia, & quævis alia ab hominum arbitrio pendentia, quæ, siquidem æqua sunt, nihil habent quod cum Jure Naturali ac Gentium adversis frontibus pugnet, nihil eo vetitum jubent, nihil eo præceptum vetant, sed *Juri illi communi*, salvis ejus immutabilibus placitis, *aliquid* (t) addunt vel detrahunt: ea imperant, de quibus illud silet; ea prohibent, quæ ab illo libera relinquebantur; ea determinant & in certum modum cogunt, quæ vaga, & varium usum in multiplicemque formam recipere apta nata erant. Hæc omnia, cùm facti sint, nemo suo marte, suopte ingenio, sola animi meditatione, cognoscat, nisi qui divinandi facultate præditus sit. In omni tamen Jure docendo, haud secusac in rebus aliis, (u) *viva vox magis adficit, alit* (x) *pleniis*: & ut reliquæ *Artes*, ita hæc nostra, (y) *literis, sine interprete, & sine aliqua exercitatione, percipi nequit*.

Quād multos autem discipulos eadem doctrina suo sibi jure vindicet, ut ut paucos plurimis in locis nanciscatur, ostendere in procli vi est. De Jure quidem Naturali ac Gentium, quatenus saltem circa privata negotia versatur, hoc pro certo pronuntiare audemus, neminem esse sanæ mentis, & ingenii non omnino hebetis; qui illius prima principia & inde consequentia maximè necessaria percipere nequeat: neminem, qui istis, quantum licet, intelligendis & in animum altè immittendis, pro virili operam dare non teneatur: neminem itaque, cui hujus notitiae comparandæ quamprimum copiam facere & occasionem amplam ultrò offerte non debeant, in quorumcumque manu id situm est, Rusticus equidem, aut Artifex, labore manuum crasso & adsiduo vietum quærere coactus, quæ demonstratiōne indigent per longam rerum consecutionem deducia, vix ac ne vix quidem capiet, quæstionumque subtilium, & paullò difficultiorum, endationem frustra apud illum tentes. Verumtamen nequaquam impossibile, immo haud difficultissimum est, si quis recta via adgrediatur, ejusmodi horū inib⁹, pro ingenio & conditione eujusque, Juris Naturalis ac Gentium *στεγανός* quādam ita proponere, ut præcipua ejus capita, firmissimis argumentis suffulta, animo adtentō imbibant; multa, quæ planè ignorabant, edoceantur; non pauca melius & clarius mente comprehendant; falsas, quas de innumeris rebus conceperant, opiniones abjiciant; ad plura singularia dijudicanda satis idonei sint; de aliis, quæ captum eorum superant, judicium temerè ferre haud sibi sumant. Cū enim illi non minus homines sint, quād vir quisque doctissimus, quidni ea capiant, quæ Ratione naturali, omnium ho-

(t) *Digest.* Lib.
I. Tit. I. *De
Gest. & Jure,*
Leg. VI.

(u) *Plin.* Lib.
II. Epist. II.
num. 9. Ed.
Cell.
(x) *Quintil.*
Inst. Orat. Lib.
II. Cap. II.
(y) *Cicer.* ad
Famil. Lib.
VII. Ep. XIX.

minum communi, manifestissimè nituntur, & sine ullis ratiocinationum ambagibus inde fiunt? Certè inter rudissimos ex hoc genere, videre est aliquando, qui, sola vi intelligendi innata, quamquam minimè excusat, satis rectè de multis, ad normam æqui bonique, suo modo judicent: ut inde facilè conjecturam facias, quam longè ampliorem talium principiorum notitiam, & ex iis ratiocinandi majorē facultatem habitiri essent, si per illos liceret, ad quos publicæ privateque singulorum institutionis cura potissimum spectat.

In JURE CIVILI PATRIO, niti intricatissimum sit & multitudine decretorum, ceu mole quadam, obruatur, nihil obstat etiam quominus quisque expedita & compendiaria via præeuntem sequatur, & tantum proficiat, quantum opus est, ut Legibus Civitatis adamassim pareat, negotia sua commodè expediat, litibus temere suscepit abſtineat. *Omnes non posunt, ne multi quidem, Juri pereſſi esse,* inquit (^(z) CICERO: verum est; non magis, quam *difſerti.* Neque enim Rabulas aut Legulejos esse volumus, sed earum rerum non ignaros, in quibus, cum ad omnium Civium utilitatem constituta sint, turpe est Civem ullum hospitem esse, quibusque sat perspectis & memoriæ mandatis, Caſſidico inimicus opus erit, quæ etiam ad captum cujusque adcommodari possunt, & solent. *Aliud est,* ut ait alibi idem TULLIUS, (^(*) *esse artificem cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita & vulgo hominum consuetudine nec habetem, nec rudem.* Multa sanè Jure Civili jubentur aut ventantur, quæ jam naturali Ratione in totum, aut ex parte, ita sanciebantur. Reliqua, sive scripta, sive tacita consuetudine vim legis obtinentia, paucis, iisque perspicuis verbis, exprimi, quid vetat? Neque longa ratiocinationum serie demonstrari necesse est; cum hec, ubi de rebus, aut suâ naturâ, aut certo respectu, indifferenteribus agitur, locum habeat quam maximè, quod arbitrio summarum potestatum, ab omni lege libero, pessimè tribuunt foedi Regum adulatores, ut scilicet sit pro ratione voluntas. Non tamen suis rationibus vel hæc Juris Civilis placita desiliuntur, immo sèpè, si quis obnixè scrutetur, optimas habent. Sed & eas ex ultimo fine Legum, bono nimis publico, arcessere, & singulis adprobare, haud ita forsitan arduum est.

Immo JURIS PUBLICI prudentia quosvis & posse, & debere aliquatenus imbui, nulli dubitamus allèrere. Non quo arcana imperii curiosis oculis rimentur, aut regendæ Republicæ callidi evadant, quibus per sortem suam ad munera publica contendere interdicitur: sed ut, tum Societatis Civilis, generatim spectatæ, veram originem & finem genuinum legitimumque, tum Civitatis ipsius, cu-

^(z) De Off.
lib. II. Cap.
xix.

^(*) De Orat.
1, 18.

jus partes sunt, conditionem propriam & Summi Imperii leges, purgi saltem Minervæ, edoceantur. Hinc enim demum orietur justus libertatis amor, & animus ad obsequium debitum paratus: quorum alteruter si abeat, Cives aut ignavi servi, aut novarum rerum cupidi plerique erunt; unde sàpè deterior & miserior sit status civilis, quàm si neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regerentur homines, & liberi atque soluti, suis quicunque viribus securitati suæ consulerent.

Tria igitur illa, quæ modo dixi, Jus scilicet Naturæ ac Gentium, Jus Civile Patrium, & Jus Publicum, talia sunt, ut indoctissimus quisque, & infimi ordinis atque loci, aliquam tamen eorum notitiam comparare poslit, & pro facultate data quàm maximè debeat. Sed, si verum dicere volumus, facultas ea plerisque raro & malignè suppeditatur, adeò ut per totam vitam vix quidquam aliud, ne per nebulam quidem, sciant, nisi quod à sola experientia, stultorum magistra, didicerunt, & illorum ignorantia sua non careat in multis rebus excusatione. At verò qui ab educatione & fortuna, ab ingenio & opibus, omnia habent subsidia, quibus, si modò velint, mentem suam excolere, & bonarum rerum cognitione instruere queant, quid caussæ dicent, cur studia adeò utilia, adeò omnibus necessaria, planè negligant, aut leviter admodùm adtingant?

Nullum profecto vitæ genus est, hominum supra plebem infimam & τὰν βεβαύσαν viles artes positorum, à quo studia ejusmodi aliena censi- feri debeant: immo, præter rationes communes, sunt & peculiares, quæ unicuique, pro data forte & imposita persona, necessaria illa redundunt. Mercaturam facis? Quàm multa tibi tenenda sunt, si quidem divitias cupis non malè partas, & sine cujusquam injuria rebus tuis consulere tibi cordi est; quàm multa, inquam, tibi tenenda sunt, ut compertum habeas, quibus artibus commodum & lucrum tuum querere fas sit; quid in variis pactis & contractibus bona fides poslulet, quid vetet; quoque, propter Leges Civitatis, aliàs licitis abstinendum sit; quatenus illarum beneficio leges superiores Aequitatis, aut Benignitatis, uti finant? Castra sequeris? Id tibi primò cavendum est, ne in bello injusto operam tuam ulli loces: tum, ne in bello justissimo armorum licentiâ abutaris, neque, si ferro & igne impunè grañari potes, ideo humanitatem exuas, & in noxios innoxios æquè omni modo sèvias. An putas autem, ad illa dijudicanda & observanda satis instructum & prouum fore, qui Justi & Injusti principia ne primoribus quidem labris degustarit, immo qui, ut fit plerumque, sanctissimas leges inter arma planè silere, facile sibi persuadet? Magistratum ambis? Heic, si usquam, Juris scientiâ quàm maxi-

maximè opus est , & ne verbo quidem monendum putarem , nisi ubique gentium nimis multi reperirentur , ad clavum Reipublicæ sedentes , quibus illud Poetæ occini poterit :

(a) *Rem populi tractas?* (barbatum bac crede magistrum

Dicere , sorbitio tollit quem dira cicutæ)

Quo fretus? dic hoc , magni pupille Pericli.

Scilicet ingenium , & rerum prudentia velox ,

Ante pilos venit ! dicenda tacendaque calles !

(a) *Perf. 5
IV, 1. & seq
10. & seqq. 5
52.*

*Scis etenim Justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: Rectum discernis , ubi inter
Curva subit , vel quum fallit pede regula varo ,
Et potis es nigrum vitio prafigere theta !*

*Respuie quod non es ; tollat sua minera cerdo :
Tecum habita ; noris quām sit tibi curta supelleæ.*

Dicit aliquis , se linguae , quā Eruditii ut plurimum in scriptis suis utuntur , semper ignarum fuisse ; aut , quum à longo tempore manus ferulæ subduxerit , non magis nunc linguam illam callere , quām si numquam didicisset . Dolendum sane , liberos ingenuos ita educari , ut parentes eos otiani malint , aut parum utilibus , aliquando & noviis rebus tempus terere , quām literis dare operam , cù præsertim ætate , quā vix aliud est opportunius , quod agant . Nec minus dolendum , si qui fortè in pueritia & adolescentia gustum quemdam literarum hauserunt , illis in posterum valedicere , quarum notitiam , dulcem & utilem simul , facili negotio servare & porro augere possent . Sed ne sic quidem effugies : sunt enim libri vernaculæ lingua scripti , aut in eam versi , sunt magistri , viva voce docentes , quorum ope duplici illi ignorantiae , & sermonis , & rerum , mederi queas .

Venio jam ad eos , qui Musarum alumnos se profitentur , & alii cuidam studiorum generi scē dant totos , in hoc utilissimo & nobisissimo vix ultra vulgus sapiunt . Naturæ arcana ille scrutatur ; quibus legibus fiant motus Corporum , magni , medii , minimi , diligentissime inquirit : Legum interea , quibus Hominis & Civis officia constant , ferè rudis . Hic lineas & numeros , extra mentem suam nullibi existentes , perpetuò contemplatur , & in omnes partes versat : quid in iis rectum , quid curvum , quid obliquum , quid majus , quid minus , immo quid infinitè parvum , magna animi contentione demonstrare nititur : si quæras , quid in humanis actionibus , quarum exempla cernuntur quotidie , rectum sit aut pravum , quid justum ,

quid injustum, quid melius, quid pejus, hæc ad se minimè pertinere respondebit; aut si fortè de rebus ejusmodi sibi etiam calculos ponendos existimet, opere ipso ostendet, quām vagas & confusas, quām incertas & minūs cohærentes notiones animo volvat. Alius Dialecticis aut Metaphysicis subtilitatibus, plerumque inutilibus, semper jejunis, aliquando planè commentitiis, ingenii acumen ita obtundit, ut de iis quæ ad mores & vitæ usum spectant, parum sollicitus sit, & peslimus illorum arbiter deprehendatur. Alter Linguarum & Antiquitatis cognitioni per totam vitam incumbit: Historicos, Oratores, Philosophos, Grammaticos, cum Latinos, tum Græcos, nocturna diurnaque versat manu. Quo consilio? Ut locos non satis sanos restituat, ut viam & elegantiam vocum & loquutionum auepetur, ut opiniones, consuetudines & ritus Veterum undique cruat, ut Chronologiam & Geographiam novis observationibus ornet. Omnia ferè, bona mala, miratur, quæ modo verbis aptis & luculentis enuntiata leguntur, aut reconditam eruditioñem præ se ferunt. In scriptis ipsorum Philosophorum & Jurisconsultorum nihil querit, nihil videt, nisi quod Grammatici aut Critici est: Dogmata & præcepta, Leges & instituta, ad trutinam recte Rationis expendere, verum à fallo, æquum ab iniquo discernere, nec scit, nec curat. Quantò satius erat, omnes, de quibus jam dixi, & si qui fortè aliam quamdam disciplinam aut doctrinam in deliciis habent, illi quidem strenuam operam navare, non tamen hanc nostram ita contemnere, adeò variam & jucundam, adeò omnium ingenio adtemporatam, adeò dignam Homine & Cive, immo sine qua Hominis & Civis munia satis recte obeat nemo; quum præfertim eo facilius quisque huic vacare queat, quo magis animum aliis cognitionibus utilibus excoluerit?

Sacrarum literarum Myſtas silentio hactenus præterii; non quòd illis nihil heic feratur, nec metatur, sed quòd singulariter ad partes vocandos existimem. An igitur qui divina tractant, hoc etiam Juris studio fese implicandi probabilem habere rationem censendi sunt? Immo, si ulli, certè futuro Theologo & cœlestium oraculorum præconi, quām adecuratissima Juris Naturalis ac Gentium scientia, nec parva Juris Publici & Privati patrii, necessaria esse, omnino mihi videtur. Si dubitas, argumentis vincemus non contemnendis. Christianum efficere, verè talem scopus est, ni fallor, sanæ Theologiæ, eorumque proinde qui illam, ut decet, profitentur. Neinō autem bonus Christianus esse potest, nisi qui, ut dignum Homine & Cive, fese gerat. Officia verò Hominis & Civis Scriptura Sacra non tam docet, ut ignota, quām postulat, ut jam satis cognita. Generalia

tan-

tantum ferè tradit, nec ad singularia nonnisi rarissimè, & occasione data, descendit. Adecurat in Virtutis & Vitii cuiusque definitionem, præceptorum rationes à primo usque fundamento repetitas, quæque alia scire omnino oportet ad ea rectè intelligenda, & quam latissimè patent extendenda, hæc, inquam, omnia, si in unico sacrorum Codicū volumine quæras, fustra sedabis. Noluerunt scilicet divini Scriptores pigritiæ & socordiæ humanæ favere, ea singillatim perse- quendo quæ aliunde patefieri & diduci poterant, ideoque fontes in- dicare satis habentes, reliqua ut plurimum sedulae cuiusque investi- gationi permiserunt. nec opus est sane, postquam iter rectum offen- deris, & errantem in illud comiter deduxeris, comitem usque te dare homini, qui modo pedibus & oculis uti velit, ad ultimum fi- nema sine duce pergere potest. Uno verbo, heic demum incipit re- velatio divina, ubi definit humana cognitio. Nijs igitur Theologus, aut Orator facer, satis magna & adecurata Juris Naturalis & Gentium, Juris item publici notitia instructus sit, ad quam minimi crunt mo- menti Loci Communes, Commentarii, aliisque id generis admini- cula; ubi in exponendis locis, cum Veteris, tum Novi Testamenti, quæ ad istas disciplinas referuntur, periculum faciet, vaga admodum & confusa, adeoque parum utilia, balbutientem animadvertes. Suum cuique tribuendum, nemini injuriam faciendam, dolum omnem pro- cul abesse, & similia effata, magnis ambagibus, magno verborum strepitu, adstantium inculcabit auribus: de eo quod suum cuique est, de injuria, de dolo, ita exiliter & jejunè disputabit, ut plurimi mo- nitis ejus se non obtemperare ne minimùm quidem suspicentur, qui tamen in ea re, de qua agitur, graviter & variè peccant. Si quando de singularibus expendendis cogitet, quæ praesertim talia sunt, ut illorum nexus cum primis principiis nonnisi acri meditatione & lon- ga argumentorum serie perspici queat; heic homini hæredit aqua, & casu tantum in veram sententiam delabetur. Modo rigidum ni- mis, modo remissum judicem experieris: heic plus, illic minus, quam satis est, poslulabit. Christianum ita informare conabitur, ut si quis ad hoc exemplar sese componere velit, Hominem & Civem ejerare debeat: Religionem & Pietatem dum suadere properat, ab ea animos alienos reddet, tali habitu depingendo, qui in humanam naturam minimè quadrat, metaphysicis aut mysticis quibusdam co- loribus immane quantum deformando. In ea, quæ parum aut nihil mali habent, vehementius invehetur: gravioribus delictis omnino parcet, aut leviter admodum illa perstringet. Ea damnabit, ut Pie- tati & Reipublicæ noxia, quæ minimè talia sunt: ea probabit, quæ spectant ad utriusque perniciem. Cūmque ex ore publicorum Reli-

gionis Interpretum pendeat plebs, & innumeri alii, qui, quamquam non è vulgo, supra vulgus non admodum sapiunt; quot & quanta inde oriantur incomoda, facile est cogitare. Quid si Theologus noster privatim de casibus paullò difficultioribus consulatur? Quid si, ut non rarò accidit, ei litium amicè componendarum cura incumbat? An non heic, praeter Juris Naturæ scientiam, aliqua etiam requiritur Juris Civilis cognitio, ut dissidentium rationes expendere, ab ultra parte stet æquum dijudicare, & quod opus est quemque suadere valeat? Quamquam enim civilia negotia tractare non teneatur, immo quām maximè talis ordinis viro cavendum sit, ne hujusmodi rebus se umquam immisceat; haec tenus tamen Juris peritum esse decet, quantum postulat muneris ipsius ratio: eo magis quod, ut se res habent, Plebs à nemine commodius, quām ab Oratoribus publicis, quae ex Jure scitu illi necessaria sunt, ediscere queat. De jure suo, quantum fieri potest, decadere, potius quām acriter jure cum aliis contendere, boni hominis sane est, multò magis Christiani; adeoque hoc urgere ad officium Evangelici Ministri præcipue pertinet: non tamen propterea, quid jure peti queat, ei licet ignorare; immo eo ipso major incumbit necessitas in Jurisprudentiæ adyta paullò altius penetrandi, quandoquidem qui jure suo cedere aliquem jubet, prius debeat nosse, juréne aliquo an nullo hic gaudeat.

Sic igitur nemo est, inter literarum cultores potissimum, cui non pulchrum & laudabile, immo utilissimum & necessarium sit, partem aliquam sui temporis studio Juris impendere. Neque dicas, mullos ea esse conditione, ut non pauca sint in Juris scientia, quae vel minimum noile numquam illorum intererit. Magna est enim singulorum argumentorum inter se connexio, adeò ut unius notitia alterius quedam poscat intellectum. Præterea, si quid tua ipsius non refert, ad alios adtinebit, quibuscum tibi aliqua intercedit necessitudo, quosque juvandi consilio gratam heic nancisceris occasionem. Adde quod de factis & litibus allorum quorumcunque, vix potes tibi temperare, quin judices, & quasi in partes eas; aliquando etiam rem in medio planè relinquere, integrum non sit: ubi sane temere ages, si satis peritus non sis, ut causâ cognita judicium ferre queas. Adeoque, quocumque te vertas, fatearis necesse est, nullam esse Juris nostri partem, cuius cognitio non habeat suum usum, cuique operam dedisse pœnitere debeat quemquam, si modo quid verè expediat rectè aestimare didicerit.

Id viderunt prudentissimi hujus Civitatis Magistratus, qui non solum Latinâ linguâ, Eruditorum communi, sed etiam Gallicâ in his oris vulgari, non pariter & utilissimo exemplo, Jus doccri voluerunt.

Sed

Sed & hujus instituti alia est non parva utilitas , quam omittere non satis consultum esset. Nimirum nulla Civitas adeo beata est , ut bonis legibus usquequa utatur , sive scriptis , sive tacita consuetudine in usum judiciorum deduci. Præterquam quod enim Leges aliquando à parum peritis hominibus latæ & scriptæ primò fuerunt , adeoque non possunt non in multis rebus deciscere , & obscuritatibus aut ambiguitatibus scatere , unde litium seges ampla oritur : sapientissimi etiam Legislatores non omnia viderunt , quæ Reipublicæ utilia aut noxia esse possunt ; & plerumque progreßu temporis accidit , morum , personarum , aut rerum mutatio , alia planè fanciri desideret. Sollemnis illa Jurisconsultorum Romanorum formula , *Durum* , *sed ita scripta lex est* ; illud , inquam , tamdiu valere debet , quamdiu sine graviori incommodo quod durum est aut tolli , aut emolliri non potest : sed ubi primù data est occasio , eò redeat lex iniqua , unde malum pedem tulerat ; nulla idonea causâ est , quare Summæ Potestates auctoritate sua illam tueri porrò pergant. Cùm tamen ejusmodi mutationes non quovis tempore commodè fieri queant , & heic semper cautè procedere jubeat Prudentia gubernatrix ; qua arte , quælo , ad veterem & inutilem Legem antiquandam , aut emendandam , facilior sternatur via , quā si homines quidam , publica constituti auctoritate , vera Legum principia doceant , quid æquum , quid iniquum , quid Civitati utile , quid noxiū , firmis argumentis , & adcuratè commodorum aut incommodorum enumeratione , monstrent ? Hinc enim fiet , ut animi sensim ad probandam & sponte etiam optandam mutationem quamdam fleetantur ; & si fortè senes , prisci & sui ævi institutorum tenacissimi , novitatem , utilissimam licet , repudient , saltem adolescentes , maturè meliora edocēti , aliquando commodiorem & sapientiorem rerum ordinationem induci patiantur , & ipsi current. Hoc saltem numquam non obtineri potest , ut quæ desunt suppleantur , obscura dilucidentur , involuta evolvantur , ambigua distinguantur , vaga definitur , satis per se adtentandi clara ulteriore tamen luce circumfundantur , cuius ope facilimè adipicari & ad consequentia aut similia congruè produci queant. Certè apud Romanos , fiorentissimos illos rerum dominos , non solum Prætor singulis annis Edicto suo , sed & Jurisconsulti omni tempore , Responsis suis & Fori disputatione , id agebant : *quorum (b) omnium (Prudentum) sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant* , *ut* , *ex Augusti Imp. decreto* , *Judici recedere à responsis eo-*
rum non liceret. Qua in re ut tantum tribuere Jurisconsultorum quo-
rumvis judicio , semper & ubique tutum non esset : ita quin utilissimum , immo & necessarium sit , in Civitate bene constituta , pu-
blicos

blicos esse Juris Doctores, nemo nunc inficias eat, & satis, ut opinor, evicimus.

II. LONGIORES fuimus, ita postulante materia: idcirco quæ jam de Historiis, tum *in se* spectatis, tum *quatenus Juri amica coniunctio nunc adneatur*, dicenda nobis supersunt, in arctiorem gyrum contrahere necesse habemus, quum præfertim illæ munera nostri velut appendix quædam tantummodo centeantur.

Historiæ, si nihil aliud esset, certè amoenitate sua sese commendarent. Quam autem illæ delectationem adferant, malumus verbis antiqui Oratoris & Philosophi Græci, quæ nostris describere. (*) *Nihil est, inquit, jucundius, quam . . . sine ullo labore passim divagari, omnes simul locos intueri, omnibus bellis sine periculo interesse, infinitum temporis spatium contrahere, infinitas res gestas simul cognoscere: quæ ab Atlyriis, quæ ab Agyptiis, quæ à Periis, quæ à Medis, quæ à Græcis gesta sunt: Bello nunc terrestri, nunc marino, nunc concionis mediae videri interesse consiliis: Cum Themistocle in mari, cum Leonida in terra pugnare, cum Agesilao trahicere, cum Xenophonte incolumem redire: amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxare . . . Manet etiam nunc Periclis imperium, manet justitia Aristidis. Critias adhuc pœnas luit, Alcibiades adhuc in exilium abit. Et ut verbo absolvam, narratio historica & eos qui primò legunt, mirifica voluptate oblectat, & eos qui jam legerunt, jucundissima cogitatione reficit.* Hæc MAXIMUS TYRIUS: quæ verissima esse, omnes experientur, qui modo voluptatibus corporeis non ita immersi sunt, ut illis animi delectationibus vix adificantur.

Quæ jucunda autem Historiarum lectio, tam dignum Homine, si cum judicio instituatur, ejusmodi studium. *Nescire quid antea quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum,* inquit (c) TULLIUS: adde &, quid aliis in locis, præterquam ubi natus sis, ignorare. Generis humani facta & mores, quæ latissimè patet, quantùm fieri potest, adcuratè nosse, Hominem decet: nec satis naturam suam magni

(c) *Orator.*
Cap. XXXIV.

(*) Προσκήνιον γέχει ἡ Ἰστορία καὶ τὸ μέδιον καροβόλη παῖδας καὶ πατέρων, παῖδας μὲν χαριστικοποιοῦσαι, πεποιηθεῖσαι δὲ πολέμους εἰς τοῦ αὐτοφύου πασχούσιμους, μέντος δὲ ἀριγάσσου χρόνου τοῦ βραχεῖον φάσεις γέμειν, πλὴν δὲ ἀπομειον πραγμάτων εἰς ὄλιγα μαρτυρία, τὰ Ἀσσυρία, τὰ Ἀζυρία, τὰ Περσία, τὰ Μεδία, τὰ Ἑλληνικά· νῦν μὲν πολεμοῦσι εἰς γῆν παραγγελμένοις, νῦν δὲ εἰς διδάσκαλον πανταχοῦσι, νῦν δὲ εἰς ικαλητούς βυθευμένοις· μέλιτα διμεροκλίεις πανταχοῦσι, μέλιτα δεινούσια ταργάρονται, καὶ μεῖον Σενοφῶντος

σαργόμενον ξενερότατα Πανθεῖα, συνθηράπτια Κύρου, συνθωσιδεύσια Καταξάρη.... Μετὰ δὲ καὶ Περικλεῖον τραπεζία καὶ νῦν εἴτε, καὶ οὐ 'Αριστούρδικας Κατιασσας καὶ νῦν εἴτε, Φούγει καὶ νῦν 'Αλκιβίαδης. Συνελθοτε δὲ εἰπτέοις, εἰ καθ' ισορίων δύοις τῷ περισσότερον περιπέτετον καθ' εἶδοντες, τῷ δὲ εἰδεῖται πραγμάτων κατὰ τὰς αἰνιγμάτων. ΜΑΧ. ΤΥΡ. Dillert. XII. pag. 130, 132. Ed. Cantabr. Davis. Vide etiam CICER. de Finib. Bon. & Mal. V, 19. & PLUTARCH. Lib. Non posse suau. viu. sec. Epicur. Tom. II. pag. 1092. E. Ed. Wech.

magni facere videtur, qui, quales fuerint, quid gesserint, omnium ætatum, omnium locorum homines, quis fuerit semper & ubique rerum humanarum status, à se alienum putat.

Sed & nequaquam sterilis est illa voluptas, quæ ex Historiarum cognitione percipitur: pluriros contra, eoque maximos fructus, inde colligere licet. Nemo nescit decantatum illud Oratoris Romani:

(d) *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra* ^{(d) De Orati.}
vitæ, munia vetustatis. Quibus verbis dotes & laudes omnes Histo- ^{lib. II. Cap.}
riæ comprehendi possunt, futilis nunc & enucleatiùs paullò propo-
nendæ.

Historia ad omnium rerum, quæ initium habuerunt, origines, simul & ad illius, quæ una nullum habuit, cognitionem manu ducit: hoc primum. Si vel maximè quis susque déque habeat scire, unde oriatur, *quod tegit omnia, Cælum,* unde *Sol & Stellæ,* & *decedentia certis Tempora momentis,* unde Terra, quam calcamus, unde Oceanus & Maria, quæ Telluris globum ambiunt, unde Arbores & Plantæ, unde Bruta animantia: hoc saltem, nisi planè vecors sit, fatebitur, è re sua esse plurimum inquirere, unde genus suum in dias luminis oras prodierit; quippe sine quo neque se ipsum rectè cognoscere, nec quid se futurum sit, vel minima conjectura adsequi queat. Annales autem omnium (e) Gentium, & hominem, & quidquid præterea circumspicimus, ante non ita multa secula nondum existuisse testantur; immo, fabulis licet involuti, de rerum origine in multis satis apertè consentiunt cum sacra Mosis historia, quæ sola verissimam, ut ut brevem, narrationem exhibit. Artium & scientiarum omnium, ne facillimis quidem exceptis, ortum & progressum in illis etiam videmus: quo simul arguitur Mundi novitas, & facultatum nostrarum vires ac indolem pleniùs perspicimus. Posito autem Generis humani initio, hinc gradus fit ad inveniendum & hujus, & rerum universitatis quasi parentem, quem postea è cœlesti patefactio- ne, miraculis confirmata, & certissimis monumentis ad nos propaga- tata, longè clariùs intelligimus. Adeò ut Religio ipsa, quanta quanta est, fide Historiarum nitatur: quod callidè animadverterunt, qui, nostra præsertim memoria, Religionem per cuniculos adgressi, ferè omnem fidem Historiis detrahcre, magno ausu nec minore nisu, conati sunt, ut simul fundamenta fidci cum Judaicæ, tum Christianæ, subverterentur.

Quod de omni genere eruditionis præclarè dixit (f) OVIDIUS:

----- *Ingenuas [scilicet] didicisse fideliter artes,*

Emollit mores, nec sinit esse feros;

alius est hujus, de qua agitur, siue non exiguis usus. Qui Histo-

(e) Vide *H.*
Grotium, de
verit. Rel.
Christ. Lib. I.
§. 16.

(f) *De Penis;*
Lib. II. Eleg.
IX. vers. 47-48.

rias legit, per totum terrarum orbem veluti peregrinatur: varias Gentium, Nationum, Populorum, Urbium opiniones, varias leges, varia instituta, varias consuetudines, perpetuo contemplatur: cum hominibus omnis ævi, omnium regionum, omnis ingenii, familiariter quasi versatur. Sic rusticam illam inscitiam paullatim exuit, qua innumeri, rerum ante memoriam suam aut extra patriam gestarum planè rudes, nil nisi quod creditur aut fit apud suos, rectum putant; immo vix homines esse qui aliter sentiant aut agant, in animum inducere poslunt. Infinita sententiarum & morum diversitas, lectorem adtentum, nec planè sinistra natura in lucem clatum, humaniorem & modestiorem reddit: hinc enim discit, non ita sibi placere, ut præter eos à quibus institutus fuit, aut apud quos versatur, reliquum genus humanum delirare existimat. Dum etiam, quibus rationibus aut causis non semper levibus aut inanibus, alii in alia ferantur, animadvertisit, ita se comparat, ut iis, quibus primum imbutus aut percusus fuit, non adeò mordicus adhæreat, sed potius omnia ad immotas rectæ Rationis regulas expendere impiger, verum & æquum, undecumque adfulgeat, ubicumque reperiatur, sine partium studio lubens amplectatur. Animi autem illa affectio, cum in se pulcherrima & dignitati naturæ humanæ maximè congrua est, tum ad benè beatèque vivendum multum conducit: quum ex opposita pertinacia innumeri errores, innumera peccata, innumera incommoda necessariò nascantur, quæ ne demantur, ipsa perpetuo obstat.

Nec inutilia sunt ad probitatem, si non ingenerandam, saltem firmandam, exempla, cum bona, tūm mala, quibus historiæ magnam partem constant, si modo quis ea probè dignoscere, & *in virtutis omnium, tamquam in speculum, inspicere* norit. Quamquam enim, in omnibus rerum gestarum paullò sinceris monumentis, longè plura occurrant à vitiis, quam à virtutibus, profecta: tamen & ad has imitandas non parùm accedit æmulatio laudis virorum magnorum, quæ, ringente licet invidiâ, post tot secula, per homines multum dissimiles, integra & illibata ad nos pervenit; & ad illa fugienda, aliquid momenti habet, foedam eorum imaginem, vivis depictam coloribus, in quamplurimis hominibus aliorum temporum & locorum, præsertim infamibus, contemplari. Unde *Historiam philosophiam esse per exempla*, haud inscitè dixit (1) DIONYSIUS HALICAR-NASSENSIS.

Aha etiam ratione ad vitæ usum maximè facit Historiarum adcurata lectione, quatenus scilicet perpetuum est cuique propriæ experien-

(g) *Terent. A. delph. A&t. III. Scen. IV. vers. 51. 52.*

(1) Τοῦτο καὶ Θουκυδίδης ἔσκε λόγος, περὶ παραδειγμάτων. Art. Rhetor. Cap. XI. §. 2. ισπλεκτοὶ καὶ ισοπλεκτοὶ φιλοσοφοί εἰσιν ἐκ Ed. Oxon.

tiæ supplementum. Nullius ævi , quamvis longissimi , satis amplum est curriculum , ut quis omnia , quæ in rebus humanis contingere solent aut possunt , & quorum cognitio ipsi ad prudentiam necessaria est , suis oculis , sua memoria facta cernat : tum , quæ ipse sentit aut videt , tardè plerumque & serò nimis , magno cum suo malo , addiscit : nec semper ei in promptu sunt homines , à quibus , longo rerum usu edoctis , quantum satis est , viva voce monatur , qui tamen & ipsi aliena experientia opus habuerunt . Tam gravi incommodo , ex humana conditione necessariò emananti , non aliud est remedium , quām si quis maturè probatos testes & fidos scriptores , quotquot nancisci potest , rerum , cùm proximis retro seculis , tum antiquissimis , in variis locis , apud varias Gentes , publicè privatimque gestarum , mutos magistrorum adhibeat . Dum enim ita supra ætatem suam in amplissimum theatrum evexitur , unde innumera , quæ olim fuerunt , animo ejus quasi præsentia fese sistunt , non minorem fructum ex illorum contemplatione capere potest , quām si suis ipsius usurpareret oculis ; & quod aliquando ejusmodi observationum perspicuitati aut plenitudini deest , numero exemplorum , quæ tot & tanta intra ætatis suæ spatum numquam ei occurserint , abundè rependitur . Hinc facili negotio , & non ita longo tempore , cognoscere licet varia hominum ingenia , variam indolem , varios affectus , & quām variè cujusque natura se exserat pro ratione cœli & soli , habitus corporis , educationis , ætatis , sexus , status , studii , vitæ generis , aliarumque circumstantiarum : hinc patet , quibus rebus homines ut plurimum moveantur , quæ majorem aut minorem vim habeant ad eos impellendos ; adeoque qua arte animus eorum , quibuscum nobis res est , explorari queat , quid de iis sperandum , quid ab iis cavendum , quando & quem in usum opera illorum adhibenda . Cùm enim hæc omnia eodem ferè modo semper & ubique se habeant , eadēque nunc , atque olim , fabula agatur , mutatis tantum personis ; qui hodie vivunt , ceteris paribus , eadem pensandi trutinæ , ac dudum *tellure repositi* ; & ex his , non minus quām ex illis , sibi quisque sumere exemplum potest , ea præsertim ætate , qua mortalium sui temporis nondum magnum usum habet : si verò cum plurimis jam versatus sit , observatio tamen præteriorum seculorum & aliquid addit inobservatum , & præsentem experientiam non parum confirmat . Talis ingeniorum cognitio plurimorum eventuum rationem & causas pandit : quas ceteroquin adcuratus historicus , * quantum potest , eruit , & Lectoribus non invidet ; ut nec quo modo quidque peractum sit : de iis vero eventibus , qui vel planè fortuiti , vel à necessario , sed latenti principio oriuntur , probabiles etiam conjecturas sufficit

ficit Historia, ex qua colligitur, qui casus rariores aut frequentiores incident, quid fœdum exitu, ut & inceptu, quam variæ mutatio-nes & conversiones identidem fiant, in rebus præsertim civilibus. Unde nemini utilius & magis necessarium est Annales rerum gestarum indefinenter evolvere, quam Principi & Magistratui, qui, cum arduum Rempublicam regendi onus in se receperit, multa etiam nosse debet, quibus privata prudentia facile carere potest, & belli pacisque artibus non alia ratione jucundius ac commodius instruatur. Id pulcrè viderat *Alexander Severus*, referente **LAMPRIDIO**, cuius verba haud abs re erit integra heic adducere : (h) *Fuit (inquit) illi consuetudo, ut si de Jure aut de negotiis tractaret, solos doctos & dis-sertos adhiberet: Si verò de re militari, milites veteres & senes ac benè meritos, & locorum peritos ac bellorum & castrorum, & omnes literatos, & maximè eos qui Historiam norant: requirens quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium fecissent.* Immo severi illi *Lac-dæmonii*, alias in omnes Disciplinas iniquissimi, quas civitate sua expulerant, omnem antiquitatis historiam libenter audiebant, ut notat

(h) *Æl. Lam-prid. in vita Sevari, Cap. XVI.*

(i) *Hipp. maj. Tom. III. pag. 285. G. Ed. Serr.*

(i) *Plato.* III. HUC USQUE præcipuos usus Historiæ, in se & in univer-sum spectatæ, innuimus potius quam exposuimus. Plurimos alias peculiares hinc deducere facillimum esset, quos vel indicare nec temporis angustiæ, nec instituti nostri ratio sinit. Satis est impræsentiarum, quod polliciti sumus, breviter ostendere, Historiarum doctrinam cum Juris disciplina optimo consilio & amica concordia in novi muneris institutione junctam fuisse.

Naturæ humanæ statum & indolem, cuius contemplatione Juris Naturalis scientia tota nititur, eo pleniùs & distinctiùs intelligimus, quo plura variarum Gentium Historica monumenta excussumus: eo certius & firmius nobis persuademus, quam Rationi congruum, quam necesse sit, sanctam servare generis humani societatem, & leges inde fluentes. Quamquam enim heic & illic nonnulla legantur usu recepta & à pluribus probata, immo publicè Legibus sancta, quæ Jus Naturale nequaquam indulserit: præcipua tamen Juris ejus placita apud omnes ferè populos, cultiores saltem, obtinuisse, quod jam supra notatum, ex Historia videmus; &, ut horum observatio semper & ubique utilissima Civitati fuit, ita ex aliorum neglectu gravissima in-commoda orta esse.

Historia porro, de omnibus quæ ad Jus Naturæ ac Gentium per-tinent, innumera exempla suppeditat, quibus illius decreta confir-mari aut saltem illustrari possunt: saepè etiam amplam materiem præ-bet

bet novas & utiles quæstiones expendendi, multaque singularia explicandi, de quibus fortè numquam in mentem venisset. Sed & tritissimæ regulæ melius intelliguntur, altius animo & memoriae infinguntur, adeoque rectius & convenientius ad obvios quosque casus accommodantur, postquam illarum ratio & usus in nobilibus exemplis, ex Annalibus rerum gestarum petitis, ante oculos quasi propinquus fuit.

Vicissim Juris Naturæ ac Gentium cognitio adcurata ad Historiam prudenter & cum fructu legendam omnino necessaria est. Historici enim, cùm veteres, tūm recentiores, de Justo & Injusto, de Virtutibus & Vitiis, haud satis recte nonnumquam ipsi sentiunt, adeoque non possunt non fallas de rebus tanti momenti notiones lectori incauto propinare, eo periculotius, quo major est Scriptoris fama, & elegantior stilus. Antiquos Græcos & Romanos, quotquot sunt, evolve: ne unum quidem reperies, qui de naturali hominum omnium æqualitate adgnoscenda, vel per somnum, cogitasse videatur; quæ tamen inter primas & manifestissimas Juris illius communis & perpetui regulas merito suo habetur. Absque hoc si esset, an reliquias gentes, præter suam, barbaras habuissent, in quas omnia licarent? An tot tantisque laudibus ad cœlum uno ore extulissent immenses illos gentium victores, generis humani hostes infensissimos, qui jura (k) negabant sibi nata, nihil non armis adrogabant; qui dirâ & insatiabili latiū regnandi cacoethe laborantes, innumeris hominibus, civitatibus, populis à quibus nullà injuriâ affecti, aliquando ne quidem de nomine noti erant, bellum inferabant exitiale; qui prædam omnia insolenter putantes, quacumque luberet ferro & igne grassabantur, omnia vastabant, diripiebant, delebant? An inter maximos Heroas collocassent vesanum (l) illum adolescentem, felicem (m) prædonem, cui (n) unus non sufficerat orbis, qui aestuabat infelix, angusto limite mundi,

(k) Horat. Art.
Poët. vers. 122.

(l) Senec. de
Benefic. lib. I.

Cap. XIII.

(m) Lucan.

Phars. Lib. X.
vers. 21.

(n) Juvenal.
Sat. X. 168. &
seqq.

(o) Q. Curt.
Lib. VII. Cap.
VIII. num. 19.

Ut Gyare clausus scopulis, parvaque Seripo:

qui omnium (o) gentium, quas adivit, latro erat, ut verè & scitè exprobrantes inducit Scythes, foedus ceteroquin tot atrocium scelerum laudator CURTIUS RUFUS. An clementiam *Julii Cæsaris* tan-toperè prædicassent, quod oppressâ patriâ, vitæ plurimorum civium, qui libertatem suam adversus eum acriter defenderant, jugum postea subeuntium, pepereit? Recentiores etiam rerum gestarum Scriptores, in iis præfertim quæ pertinent ad Religionem & jura Summarum Potestatum, multa laudant, cum Jure Naturali & Gentium omnino pugnantia; multa vituperant, ei adprimè consentanea. Adeoque & hi, & illi, ad mala imitanda, bona fugienda, saepissimè auctores

res erunt, nisi quis ex certissimis Disciplinæ nostræ fundamentis quæcumque dicunt expendat.

Utrorumque tamen, cùm in Jure Gentium, tum circa Jus Publicum univeruale errores, non unius generis, ex ipsa Historia faciliè refelli possunt, quæ Societatum originem ac constitutionem, quo animo, quibus legibus homines in alterius imperium concederint, quibus artibus Reges ac Principes usi fuerint, ad usurpandam dominationem nullis aliis, nisi arbitrii sui, limitibus circumscriptam, & in animis etiam miserorum civium insitum amorem libertatis restinguendum, manifestissimè docet.

Historia etiam quantum lucis adferat ad cognoscendam Obligationem, Pactorum, & Contractuum naturam; originem Dominii, variisque ejus genera; Pretii fundamenta; Matrimoniorum, Potestatis Patriæ, & Servitutis, variam rationem; formas Re:umpublicarum; Imperii habendi & acquirendi varios modos; Belli & Pacis Jura; Fœderæ; Legationes; aliisque ejusmodi, ad Jus Naturæ & Gentium, cùm publicum, tum privatum, pertinentia, cæcus sit, qui non videat.

Vis Leges Civiles ferre, vis eas intelligere? In Historiis magnum erit tibi subsidium. *Ad leges ferendas*, dixit olim ARISTOTELES, ne nunc quidem spernendus in rebus Politicis auctor, *utile est*, (*) non solum ex præteritis dijudicare, quæ regiminis ratio Republicæ profut, sed etiam quibus alii utantur, noscere, quales qualibus hominibus congruant. Adeoque Legislatori manifestò prodest, itineraria orbis Terrarum legisse, unde gentium leges accipere licet: ad deliberationes autem publicas valet scientia rerum gestarum, literarum monumentis prodita. Intelligebat nimirum Philosophus, è notitia & collatione Legum exterarum, quid Civitati cuivis in universum, quid huic vel illi privatim conducat, perspici posse: quod jam ante ilium probè animadverterant sapientes illi Romani, qui leges condituri, legatos Athenas miserunt, (p) *jussos inclitas leges* Solonis describere, & aliarum Græciæ Civitatum instituta, mores, iurisque noscere; unde originem habuerunt Duodecim illæ Tabulae, quæ deinceps (q) in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique juris fuere.

Sed &, sine ope Historiarum, satis intelligi, recteque proinde ex-

(p) T. Liv. Lib.
III. Cap.
XXXI. in fine.
(q) ibid. Cap.
XXXIV. num.
6.

(*) Χρίσματος δὲ πρὸς τὰς νομοθεσίας, τὸ μὴ μέντοι ἐπιτίθειν, τις πολιτεία συμφέρει, εἰ τῶν παρελθόντων Σειρῆνι, ἀλλὰ καὶ τὰς πάρα τοῖς ἄλλοις εἰδίται, αἱ ποιῶν τοὺς ποιοὺς ἀφεντικτοῦν. οὐτε ὅτιον ἔη, πρὸς μὲν τὰς νομοθεσίας αἱ τὰς γῆς περιόδους

χρήσιμοι· ἐντεῦθεν γὰρ λαβεῖν ἴσι τοὺς τῶν Εἰρήνης πρός δὲ τὰς πολιτείας συμβεβλαὶς, τὰς τῶν περὶ τὰς πράξεις γραψόντων ιστορίας. Rhetic. Lib. I. Cap. IV. in fin. Vide & DIONYS. HALICARN. Antiq. Rom. Lib. V. Cap. 75. init.

explicari aut applicari nequeunt Jura Civilia , quæ præsertim , ut fit plerumque , non simul & semel , sed variis temporibus , nata sunt . Nisi enim scias à quo , quando , qua de caussa , Lex aliqua lata sit , periculum est , ne verba ejus perperam interpreteris , aut imperfectè tantum capias , & ultra aut intra Legislatoris consilium totius Legis tenorem proferas aut restringas , non iniquè forsan , sed tamen præter loquentis mentein & scopum . Qua de re , ne exempla longè petamus , dubitare nos non sinunt immensi illi & mole , & numero , Commentarii Interpretum , ex schola Accursii & Bartoli , qui , per tria secula ante literas renatas , Jus Romanum instaurare & interpretari conati sunt . Historiarum enim face destituti , dum in tenebris perpetuò ambulant , priscis Jurisconsultis cogitationes suas adfingunt , in plurimis vocabulis & rebus exponendis planè cœcutiunt , & obtruso collo innumeritas leges ad sententiam suam trahunt : *Satis solletes alioqui* (judicium est Viri Summi (r) H. GROTII) *ad indagandam æquique naturam: quo factum ut saepe optimi sint condendi Juris auctores, etiam tunc quum conditi Juris mali sunt interpres.*

Præter Jura scripta , in plurimis Civitatibus Consuetudines vigent , quæ (s) *legem imitantur* , & quod longo usu *comprobatae fuerint, velut* (t) *tacita Civium conventione, non minus servantur* , quām quæ di- ferte sancita & literis mandata sunt . Diuturni autem illi mores , quī melius probentur , quām ex fidis rerum gestarum monumentis , unde patet à quam longo tempore obtineant , & cauſarum secundūm eos 35. judicatarum exempla in medium proferuntur ?

Quis etiam in Jus Publicum populi alicujus , præsertim antiquioris & magnas passi rerum conversiones , bonis auspiciis introducatur & paullo altius descendat , sine lumine Historiarum , quæ docent , quomodo & quando Reipublicæ forma constituta aut mutata fuerit ; quantum juris Summis Potestatibus accesserit aut decesserit ; quid negotii illis fuerit cum aliis Civitatibus ; quid variis temporibus in munera publicorum ratione emendatum , additum , aut immutatum fuerit ; & alia ejusmodi , quæ nisi ante omnia didiceris , ne præsentem quidem statum satis intelliges . Non opus est heic adferre exemplum insigne Imperii , quod vocant , Romano-Germanici , cuius abnormis forma & rūdis indigestaque moles , patentibus & ultro adgnoscentibus cordatoribus ex illa Gente , intricatissimum labyrinthum efficit , unde , sine filo Historiarum , nemo se se umquam expeditat . Sed vide mihi omnia , quotquot sunt hodie , Europeæ Regna , Respublicas omnes : & si in illis , quantum postulat civilis scientia , cognoscendis , Historiarum subsidio carere queas ,

(r) De Jure
Bell. ac Pac.
Proleg. num:
54. Vide &
Gravinam De
ortu & pro-
gressu J. Civil.
p. 205.

(s) Instit. Lib. I.
Tit. II. §. 9.

(t) Digest. Lib.
I. Tit. III. Leg.

causam non dico, quin quæcumque jam audivisti, nugas esse meras existimes.

Eadem est ratio *Juris Feudorum*, aliorumque ex humano arbitrio pendentium, quæ, cum inter Cives ejusdem Republicæ, tum inter Principes & Populos, locum habent, pro locis ac temporibus mirè variantia. Sed res per se manifesta est; & tempus urget, ut, unde exorsa est, eo redeat oratio.

VIDISTIS, AA. quanta sit Disciplinarum nostrarum, Juris præfertim, utilitas & præstantia. Macti igitur virtute simus,

(u) *Hoc opus, hoc studium, parvi properemus & ampli,*
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.

Beatus, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verâsque opiniones adsequi possit; ut præclarè PLATO, referente & laudante

(x) *CICERONE.* Verbis, pro viribus, ornavi munus eximum, quod Summus Magistratus huic Academiæ, huic Civitati, omnibus, sive incolis, sive exteris, benignè largitus est, dum novam Juris & Historiarum Professionem condidit. Utinam pari ratione verè ornari posset ille, cui primò hanc provinciam utilissimam, sed & non ita facilem, traditam conspicitis! De me ipso nihil aliud dicam, ne forte quod erit animi suæ infirmitatis sibi consciū, fucatæ modestiæ imputetur. Quandoquidem verò, Deo volente, hanc spartam ornandam nactus sum, nullis malis artibus, nullo ambitu, sed opinione & commendatione, magnifica nimis, fateor, non tamen emendicata. Virorum proborum & intelligentium, Virorum illustrium, qui nihil minus cogitantem, nihil molientem (& quî potuisse, tantis terrarum divisus spatiis, in ultimo pænè Septemtrione abditus, nec apud ullum Magnatem gratia pollens?) huc acciri, pro sua erga me voluntate, in publica commoda studio, generosè ipsi curarunt: liceat jam, quod observationi meæ sponte sese offert, ingenuè declarare, unde nescio quid boni mens auguratur. Ille, qui hodie Juris Naturalis ac Gentium præcipiūs auctor, & merito quidem suo, habetur primus, dum viveret, in celeberrimam Heidelbergensem Academiam, ad Jus istud docendum, evocatus fuit, primusque (y) ab eadem *Disciplina Professoris titulum gerere jussus*, primus postea, & primo loco, in Londinensi Scanorum Academia, tunc primùm condita, Juris universi professionem ultro oblatam exercuit.

Ego, qui eximum ejus *De Jure Naturæ & Gentium Opus* in notiorem, & apud vos quaque vernaculam, linguam primus vertere adgressus sum, primus Commentario qualicumque illustrare, primus etiam, quod felix faustumque sit, in hoc *Lausannense Athenæum* evocatus venio, Jura non solum, sed & Historias publicè privatimque traditurus. Accipio omen,

(u) *Horat. Lib.*
I. Ep. III. 38,
29.

(x) *De Finib.*
V. 21.

(y) *Pufendorf.*
in *Præfat. Jur.*
Nat. & Gent.

men, AA. & si cum Viro Illustri nulla in re comparandus sim, qui satis magno honori duco fidum illius egisse Interpretam, hoc saltem omni opera conabor, ut, per quem profeci, longè sequar, & vestigia ejus semper adorem: nullius tamen addictus jurare in verba Magistri, sed, ut decet castum Themidos sacerdotem, solis Veri & Aequi partibus studens. Quod ingenio, quod eruditioni, quod experientiae deest, id diligentia, quantum in me est, supplebit.

Tibi, AMPLISSIME PRÆFECTE, satis pro animi mei affectu, pro rei dignitate, testari nequeo, quantoper obstrictus sim, & quod ad novi muneris creationem nullum non lapidem moveris, & quod illius in me conferendi auctor fueris potentissimus, & quod nunc differenti benignas aures præbueris. Plura dicere coram, modestia tua vetat. Tum si, quod vovemus & speramus, *propria hæc dona futura sint*, ibit in secula, Te Præside, Te Patrono, Te Auspice; Tuo potissimum instinctu, Tuis curis, Tua auctoritate, opus illud & inchoatum, & ad umbilicum perductum fuisse: gratique posteri, dum utilitatem illius experientur, magnisque inde colligent fructus, SINNERRI nomen, tot ceteroquin laudibus conspicuum, tantis in patriam meritis illustre, tantis honoribus clarum, in cœlum ferre non desinent.

Tibi, *QUÆSTOR CONSULTISSIME, INTEGRIRIME, Vobis, TRIBUNI PRUDENTISSIMI, VIGILANTIISIMI, Vobis, SENATORES GRAVISSIMI; Vobis omnibus hujuscce Civitatis Magistratibus, quotquot adestis, quotquot abestis, plurimum debeo & semper debebo, qui, tum in novo munere constituendo, tum in me ad id vocando, validos ultro vos præstitistis adjutores; qui in partem sumptuum lubentissime venistis; qui sollennem istum actum præsentia vestra cohonestare dignati estis.

Te, MAGNIFICE RECTOR, Vos, PLURIMUM REVERENDI ECCLESIÆ HUJUS PASTORES, Vos, CLARISSIMI PROFESSORES, quos jam Collegas adpellare posse volupe simul est mihi & maximè honorificum; Vos, inquam, oro atque obsecro, ut, quam à Vobis non nunc primùm expertus sum benevolentiam, in posterum etiam significare pergatis, & illi porro magis ac magis faveatis, quem plerique olim discipulum habuistis.

Vobis, OMNIS GENERIS ET ORDINIS AUDITORES ORNATISSIMI, HONORATISSIMI, gratias maximas ago, quod huc tantà frequentiâ convenistis.

Quid Tuperest, nisi ut vota nuncupemus pro follennis hujuscē diei felicitate? O velit igitur illum summus rerum Arbitr̄ nobis & omnibus fortunare! Faveat docentis, faveat discentium conatibus, faveat aliorum quorumcumque cōceptis honestis! Floreat inclyta R E S P U B L I C A B E R N E N S I S , alma nostra Domina ! Floreat hæc Civitas, floreat Ecclesia, floreat Academia L A U S A N N E N S I S ! Floreat universa H E L V E T I A , armis, viris, opibus potens! Vigeat heic & illic Religio, pura illa, & ab omni superstitione, ab omni tyranide libera! Vigeat libertas, pax, quies, ordo, disciplina!

D I X I.

